



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und  
Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten**

**Calino, Cesare**

**Augspurg ; Graez, 1744**

**VD18 80280064**

In Festo S. Viti Martyris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](#)

IN FESTO  
S. VITI MARTYRIS.

1.

*Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Luc. 10.*

Inter cæteros primæ ac antiquæ Ecclesiæ **Sanctos**, qui magnam in obsessos à dæmone homines potestatem exercuere, celebrior est S. Vitus, cuius festo propterea proprium Evangelium est assignatum. Conciliemus nobis S. Viti patrocinium, ut securiores simus, cum jam aliunde rari sint, in quorum corpora jus habeat dæmon. Dignum est examinare, quare in populo electo Judæorum Deus permiserit tot esse obsessos, cum in electo populo Christianorum sint adeo pauci. Explicatur hoc pulcherimè *Mense X. Disc. 295. pag. 381. usque ad num. 5.*

2.

*Dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes. Luc. 10.*

Antiquus serpens, invidiâ tumens in humanum genus, agnoscit Christi & Christianorum potestatem contra insultus suos: scit, in hodiernum usque diem Sacerdotum exorcismis se cruciari & plerumque expelli. Interim tamen obsessorum corpora horrendūm vexat, & exorcizantibus contentiosissimè resistit. Disquirat-

quiramus hodie , cur Deus hoc permittat ini-  
mico nostro ? fortasse , ut ardentiū ad San-  
ctorum ejus , ac præcipue S. Viti , suffragia  
fugiamus. *Mense X. Disc. 295. pag. 392. à  
num. 5.*

3.

*In hoc nolite gaudere , quia spiritus subji-  
ciuntur vobis. Luc. 10. v. 20.*

Cur , quæso , non gauderent discipuli pro-  
pter potentiam sibi à Christo ad expellendos  
dæmones datam ? cur non gauderent de gloria  
in Christum hinc redundantem ? de confusione  
juratorum hostium ? de restituta miseris liber-  
tate ? Non hæc sibi arrogabant , sed magistro :  
*Etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Ve-  
rumtamen Christus eos in hoc gaudere noluit ,  
ut omnem vanæ gloriæ occasionem tolleret . Inexcusabiles igitur erunt in judicio : qui non  
de bono opere , sed etiam de gravissimis pec-  
catis audent gaudere , & insuper gloriari .  
*Mense II. Disc. 38. pag. 102. ad num. 4.*

4.

*In hoc nolite gaudere. Luc. 10. v. 20.*

Ex charitate erga miseros adhibuerant ex-  
orcismos discipuli , & successu bono , ad glo-  
riam Dei utique pertinente ; & tamen in hoc  
gaudere prohibentur , ne propter elationem a-  
nimi cum Lucifero instar fulguris de cælo ca-  
derent in infernum . Quid fiet de iis , qui glo-  
riantur in malitia , non virtute ? Difficile con-

o 5

ver-

vertentur, difficillimè salvabuntur. *Mense II.*  
*Disc. 38. pag. 110. à num. 4. ad finem.*

## IN FESTO S. BENNONIS EPISC. CONF.

I.

*Euge serve bone & fidelis. Matth. 25.*

Puto, servum bonum esse, qui Domini sui voluntatem explet obediendo; fidelem verò, qui pro Domino pugnat, jura illius defendendo. S. Benno à pueritia semper sub obedientia vixit *servus bonus*: factus verò Episcopus persecutioes gravissimas constanter sustinuit, quia Imperatori constanter restitit, ac imperterritus jura Ecclesiæ defendit *servus fidelis*. Pretiosa est constantiæ virtus, quæ nullo impedimento repulsari se patitur. Verùm hæc ipsa, sicut facillimè perditur, ita sollicitè nobis custodienda est. *Mense IX. Disc. 253.*  
*pag. 144.*

2.

*Tradidit illis bona sua. Matth. 25.*

Etsi Deus ubique præsens gubernet omnia, tamen ut servorum suorum gloriam augeat, & majestatem suam ac magnitudinem ipsa ministerii potestate demonstret, tradidit illis bona sua, commisit eorum vigilantiæ custodendas provincias, conservandas in flore, defendendas in necessitate. Talis est S. Benno, cuius ad patrocinium fugere nos oportet, ubi maxi-